

sibi persuadet rem esse suam, aut saltem nescit esse alienam; ex regula 2.^a juris in 6 «possessor malae fidei ullo tempore non praescribat» requiritur autem quamdiu currit praescriptio, si enim interruptitur quamprimum desinit bona fides, ita Alexander III et Innocentius III ex concil. Lateran. decretis, quae et similia juris canonici decreta, servanda sunt non solum in foro conscientiae sed etiam civili: habet enim Ecclesia potestatem, saltem indirectam derogandi legibus Imperatorum quando id exigit bonum animarum. Hinc leges civiles praescindentes a bona fide in praescriptionibus 30 vel 40 annor. jure ecclesiastico corriguntur et derogantur. Mala fides improprie dicta, i. e. cum notitia juris alieni a domino suo, absque omni culpa praescribentis, neglecti; non cum proprie dicta, i. e. cum notitia juris alieni a praescribente injuste et culpabiliter violati, valet ad liberandum a servitutibus rusticis, et a poenis juste impositis. Exceptio temporis concessa dominis aliisque similibus contra actionem famulorum aliorumque negligentium v. g. in Hispania (1) ultra tres annos exigere stipendia, non valet pro foro conscientiae sine bona fide, lex enim concedit exceptionem praesupposita solutione debiti. 3. *Titulus justus* saltem aestimatus, i. e. justa causa possidendi saltem in aestimatione possidentis; sine hac enim stare nequit bona fides ad omnem praescriptionem requisita. 4. *Tempus* lege definitum scil. breve i. e. decennio minus; longum i. e. 10 annor. inter praesentes, 20 inter absentes; longissimum i. e. 30, 40 annor.: Immemoriale i. e. cujus initii non extat memoria apud senes. Secundum jus commune praesentes censentur, qui habitant in eadem Provincia, absentes qui in diversa. Quae res et quanto temporis singulae praescribant vide apud auctores juristas et moralis Theologiae. Thesis est communissima cum D. Thoma (2) contra paucos eam negantes vel solum concedentes casu, quo dominus negligens fuerit in re sua vindicanda.

77. Prob. 1.^o Quia haec est communissima persuasio et praxis hominum, etiam doctorum et proborum, quae est optima legum interpretis.

2.^o Respublica vel legislator potuit velle et voluit ut praescriptio legitima etiam valeat pro foro interno. Ergo... Prob. *antec.* Quoad primam partem, quia Respublica ex jure alto, ob bonum publicum et quietem communem potest transferre dominia privatorum. Sed praescriptio cedit in bonum publicum et quietem communem; nam per eam tollitur occasio multarum litium, consulitur paci, et rerum dominia non diu et fere semper manent incerta, sed stabiliuntur.

(1) Novis. cod. art. 1967.—(2) Quolib. 12, q. 16, a. 24.

Ergo... Quoad 2.^{am} part. *voluit*, constat ex ipsis legibus; sit in exemplum Leg. Codicis de *traditionibus, et pactis*, ubi dicitur: «usucapione, uti et traditione rem nostram fieri.» Sed per traditionem verum confertur dominium. Ergo... Confir. a) Si leges hae valerent tantum pro foro externo, non obtineretur earum finis: sed hoc est absurdum: ergo... Prob. *maj.* non haberetur certitudo dominiorum, nec leges servirent ad sedandas, sed ad illaqueandas conscientias. b) Jus canonicum, quod praecipue attendit ad conscientias. C. finali de *praescript.* rejicit tantum praescriptionem mala fide factam; quia scilicet tunc res sine peccato servari non potest: et relinquit vigorem praescriptioni bona fide factae: Ergo vi hujus, res sine peccato servari potest adeoque praescribens in conscientia tutus est. En ejus verba: «Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est: Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio; tam canonica quam civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.» Ita sub Innocentio III in concil. Later. IV, oecumen. XII.

78. Obj. 1.^o Qui deprehendit rem sibi fuisse adjudicatam per sententiam materialiter injustam non potest in conscientia eam sibi retinere: ergo similiter in casu praescriptionis.

Resp. Neg. *seq.* Disparitas est, iudex per suam sententiam non confert jus, sed declarat, quis videatur habere jus; at vero Princeps legibus praescriptionum, boni publici causa illud confert.

Obj. 2.^o Constitutio Tridentini (1) statuens tempus quinquennii ad praescribendum contra religiosum praetendentem se propter vim, metum, aut defectum aetatis non esse valide professum, non procedit nisi in foro externo; ergo similiter leges praescriptionum.

Resp. Neg. *seq.* Disparitas est, quia lex humana potest applicare rei dominium possessori, non tamen aliquem, qui vere non est religiosus facere religiosum, cum ad id essentialiter requiratur liber consensus volentis se votis obligare.

Obj. 3.^o Leges concedentes praescriptionem fundantur in praesumptione culpa scilicet negligentiae prioris domini, ut indicatur Leg. *Ut perfectius*. 2, Codicis de *annali exceptione* et cap. *Vigilanti*. 5 de *praescription.* in Jure canonico. Ergo si dominus fuit inculpabilis et hoc certo constet non praescribitur contra ipsum; quia poena non incurritur sine culpa.

(1) Sess. 25, c. 19.

Resp. Dist. *antec.* Fundantur in praesumptione culpa tantum et precipue, neg. Etiam, Trans. vel conc. Constat ex probationibus.

SCHOLION.

De dubio et ignorantia in praescriptione.

79. Certum est ex ipso jure naturae et canonico omnem praescriptionem inchoandam et continuandam esse bona fide theologice sumpta seu conscientiam practice certa de licitate possessionis (1). «Quoniam dicitur in jure quod non est ex fide peccatum est; synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis: cum generaliter sit omni constitutioni ac consuetudini derogandum, quae absque peccato mortali non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae» Concordat reg. 2, in 6.^o «Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.» Sed quid si praescribens est speculative dubius? Tunc:

Dico I. Dubium speculative de rei proprietate obest bonae fidei ad inchoandam praescriptionem, non autem si superveniat postquam fuerit bona fide inchoata.

Ratio primi est, quia nemo potest certo et practice accipere ut suum; id de quo dubitat, nec dubium, ut supponimus, potest excutere, an sit suum in ipsa rei apprehensione. Ratio secundi, quia possessio bona fide inchoata est ratio sufficiens ad rem sibi retinendam, dummodo facta diligenti inquisitione non deprehendat qui praescribit esse alienam. Licet enim speculative dubitet, an res sit sua, potest sibi efformare judicium practice certum hoc argumento: in pari causa melior est conditio possidentis. Reg. 65, juris in 6. Sed rem hanc possideo bona fide possessione inchoata, nec ulla mihi apparet ratio, cur prius sit alterius quam mea, ergo cum possessionis titulo sit melior mea conditio, possum licite eam mihi retinere donec probetur ad me non pertinere.

80. In praesenti materia dicitur ignorantia facti, ignorantia alicujus facti vel circumstantiae ratione cujus titulus possessionis non est validus. v. g. si quis emit a pupillo lege impedito ad alienandum et nescit esse pupillum... Ignorantia autem juris est ignorantia legis seu juris reddentis invalidum possessionis titulum; sic v. g. in casu praecedenti si emptor sciret venditorem esse pupillum, nesciret vero legem annullantem venditionem a pupillo factam. His positis et supposita ignorantia inculpabili breviter (2):

Dico II. Qui post inchoatam bona fide possessionem ex ignorantia juris non solum dubitat sit ne res sua vel aliena, sed etiam an licite possit continuare possessionem, eo ipso fit pos-

(1) Cap. final. de praescript. — (2) Cum Platelli. De just. n. 564.

essor malae fidei, adeoque non potest praescribere.

Ratio est quia non licet operari conscientiam dubia.

Dico III. Ignorantia facti dummodo non sit proprii v. g. an ego emerim vel non, causat bonam fidem ad praescriptionem.

Ita expresse in Jure (1). Est enim bona fides et verus titulus existimatus; additur dummodo non sit proprii facti, quia quoad hoc ad juste retinendum debet quis habere conscientiam practice certam.

Dico IV. Ignorantia juris dubii causat bonam fidem sufficientem ad praescriptionem.

Quia cum in dubio liceat in praxi utramvis partem sequi, non est aequum ut ignorantia juris dubii impediatur praescriptionem.

Dico V. Ignorantia juris certi non causat bonam fidem sufficientem ad praescriptionem saltem ordinariam in foro externo; imo nec in foro conscientiae.

Ita Molina (2) et alii communissime contra Joan. Medinam, cujus sententiam probabilem dicunt Lessius, Dicastillo et alii (3).—Prob. I.^a pars. *quod non in foro externo*: quia jura expresse dicunt cum tali ignorantia non procedere praescriptionem (4): «Numquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest.» Idem ex jure hispanico, cum exigit art. 1957 titulum justum.

Prob. II.^a pars. *quod non in foro conscientiae*; quia tota vis praescriptionis ad transferendum dominium oritur ex jure civili, non vero ex natura rei, ergo non potest in foro conscientiae aliter habere vim quam ei tribuatur a jure civili. Sed jus civile statuit praescriptionem ordinariam non procedere cum ignorantia juris sine justo titulo, ut patet ex legibus citatis et potest confirmari. Leg. *Quemadmodum*. Codic. de *Agricolis et censitis*; ubi dicitur: «malae fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.»

Dico VI. Probabile est tamen bonam fidem procedentem ex ignorantia juris sufficere ad praescribendum etiam praescriptione ordinaria fructus.

Ita Covarrubias, Lessius contra Lugonem (5).—Ratio est, quia error circa fructus videtur esse error facti, cum possessor putet se eos percipere ex re sua. Art. 433. cod. novis. hisp.

81. Objicies adversus dicta in V. 1.^o Leges in tantum dicunt cum ignorantia juris non praescribi in quantum cum illa praesumunt malam fidem: ergo in foro conscientiae in quo veritas constaret de bona fide non esset neganda praescriptio.

Resp. Probabilius cum Molina. Dist. Praesumunt malam fidem tantum theologice seu cum culpa; neg. Etiam juridicam seu civilem ex ignorantia juris; conc. i. e. sub nomine malae fidei

(1) L. juris. 4, ff. D. jur. et fact. ignor. L. error. 8 ejuss. titulus; Cod. noviss. 433. — (2) Disp. 64. — (3) Vid. Lug. D. 7; n. 33. — (4) Leg. Numquam 31 de usucapione. — (5) Vid. La-Croix. L. 3, P. 2, n. 484.

intelligunt omnem credulitatem vitiosam cum qua praescriptio esse non potest.

Obj. 2.^o Certum est, ignorantiam facti non prodesse cum culpa in foro conscientiae licet admittatur in foro externo, ut inculpabilis. Ergo a pari ignorantia juris non dicitur obesse praescriptioni, nisi eo modo, quo prodest in foro externo ignorantia facti.

Resp. Neg. *Conseq.* et paritatem, quia ad hoc ut detur jus requiritur ut non sit injuria, quae esset, si ignorantia facti etiam culpabilis daret jus. Ad hoc vero ut non detur jus, sufficit legitime impediri per leges, ut fit in ignorantia juris etiam inculpabilis.

De contractibus ejusque divisionibus.

82. **Notandum.** I. Pactum est (1) «*duorum pluriumve in idem placitum consensus* (2)» nempe signis externis expressus, et cum quadam reciprocatone ad invicem directus. Contractus stricte sumptus est «*ultra citroque obligatio* (3).» Haec descriptio non est formalis, sed per effectum: contractus enim formaliter est, pactum mutuum obligationem pariens, non ipsa obligatio; verba ultra citroque expriment differentiam, qua pactum in genere, quod praescindit ab obligatione mutua vel non mutua, contrahitur, et fit contractus stricte sumptus, qui opponitur pacto non mutuo, qualis est promissio acceptata, quae non parit obligationem utrinque sed solum ex parte promittentis. *Obligatio* est (4): «*Juris vinculum quo necessitate adstringimur alicujus rei dandae, faciendae vel praestandae.*» *Naturalis tantum* est illa, quae quidem obligat in conscientia, sed non parit actionem in foro externo. *Civilis tantum* est illa, quae parit actionem in foro externo, in conscientia tamen non obligat. *Mixta* est illa, quae est civilis simul et naturalis, talis est quae ex perfectis contractibus nascitur. Haec obligatio ordinarie intelligitur nomine obligationis simpliciter.

II. Contractus varie dividitur: 1.^o Ex parte modi a) in *realem*, qui perficitur re i. e. traditione, ut mutuum: b) in *litteralem*, seu scripturâ, ante quam contractus non censetur ratus, ut emphiteusis: c) in *verbalem* i. e. certa verborum forma, ut stipulatio hac formula, «*spondes? spondeo,*» verborum tamen solemnitas non est amplius in usu: d) in *consensualem* solo consensu, scilicet reciproco, et signis externis sufficienter expresso, ut emptio venditio, etc.

2.^o In *lucrativum seu gratuitum*, in quo nihil rependitur, ut donatio; et *onerosum* seu reciprocum, in quo utrimque cernitur obligatio, et aliquid rependitur, ut emptio, etc. Haec divisio fere

(1) Cum Platelli, De just. a. n. 578.—(2) L. 1. ff. De pactis.—(3) L. Labbeo ff. De verborum signific.—(4) Institut. De obligat. init.

coincidit cum alia in unilateralem et bilateralem, quam aliqui admittunt, aliqui rejiciunt, certe minus quam inter duo pactio dari non potest.

3.^o In *nominatum*, qui in jure proprium et specificum nomen habet, ut emptio, et in *innominatum*, qui proprio nomine caret, ut permutatio, quae appellatur nomine communi emptioni et mutuo, etc. Innominatus subdividitur in quatuor species his verbis expressas: *do ut des; facio ut facias; do ut facias; facio ut des.*

4.^o In contractum *bonae fidei* et *stricti juris* i. e. benignae vel strictae interpretationis. Sunt v. g. strictae interpretationis mutuum, stipulatio, donatio, solutio indebiti, etc.

5.^o In *nudum* et *vestitum*; nudus est qui sistit intra terminos merae conventionis, nec ullum habet a jure civili firmamentum, quo pariat actionem in foro externo. Vestitus est, qui firmamentum habet a jure, ratione cujus obligat in foro externo.

6.^o In *solemnem* et *simplicem*, prout requirit speciales legis solemnitates seu requisita vel dispositionibus tantum communibus subicitur.

7.^o In *formalem* et *tacitam*: prout consensus formaliter aliquo signo exprimitur; vel implicite tantum in aliquo signo dicto vel facto. Sic medicus praesumitur promittere se processurum, ut ejus professio requirit.

8.^o In *absolutum* et *conditionatum* prout nulla vel aliqua conditio contractui apponatur.

III. In contractibus tria discernenda sunt: substantialia, naturalia, accidentalia. Substantialia sunt, quae formam et essentiam ipsius contractus constituunt, ut sine illis subsistere non possint. Ita in omni contractu se habet v. g. utriusque consensus: in emptione et venditione pretium et merx., etc. Naturalia sunt, quae adesse solent et tacite insunt contractui etsi expressa non sint. Haec possunt conventionem contrahentium removeri a contractu, sic v. g. potest venditor ex pacto cum emptore non teneri de evictione rei, licet ordinarie venditor de ea teneatur. Accidentalibus sunt, quae adesse vel abesse possunt, nec ordinarie contractui insunt, ut arrhae in emptione et venditione, addictio in diem, etc. Jam ut graviora de contractibus enodemus sint sequentes theses.

THESIS XII.

Pura et simplex promissio inter homines solum induit naturalem obligationem ex fidelitate.

83. **Nota.** I. Promissio est: *Deliberata et gratuita fidei obligatio facta alteri de re quapiam bona et possibili.* Dicitur obligatio, quia non sufficit significare solum voluntatem faciendi, sed

oportet ut fides detur et obligetur i. e. ut homo se obliget alteri, per quod differt a simplici proposito, quod non est ita obligatorium. Dicitur *Fidei* ad distinctionem donationis et similium contractuum de praesenti, in quibus res ipsa obligatur. *De re bona*, ut excludatur promissio operis, quod sine peccato praestari nequit; et possibili: quia ad impossibile nemo tenetur, nec est potentia.

II. Fidelitas dicitur virtus veritatis, qua ab homine, ut dicit Tullius (1): «immutata ea, quae sunt aut fuerunt aut futura sunt» dicuntur quatenus per ejus actus facta dictis conformantur. Distinguitur quidem a justitia quatenus respicit non jus reale alterius, sed quod ei debetur secundum honestatem virtutis promittentis vel narrantis. Est tamen affinis et pars potentialis justitiae, quia est ad alterum. Thesis est nobis probabilior cum Suario (2), qui citat Soto, Corduba, Navarro; et quoad possibilitatem obligandi ex sola fidelitate debent adungi omnes illi auctores, qui ex voluntate promittentis (3) prout volentis se vel ex justitia vel fidelitate ligare quaestionem solvunt. Nos agimus de promissione in se, seclusa quavis expressa promittentis voluntate. Haec sententia significatur a D. Thoma (4) dicente: «secundum honestatem» ex qualibet promissione homo homini obligatur et haec est obligatio juris naturalis; sed ad hoc quod aliquis obligetur ex aliqua promissione obligatione civili quaedam aliqua requiruntur.» Dixerat in corpore ad fidelitatem hominis, pertinere, ut solvat id quod promisit, ergo ex D. Thomae sententia, illa naturalis obligatio, quae ex promissione inter homines nascitur, ad fidelitatem pertinet.

84. Prob. Cum Suario (l. c.) ita: Simplex et pura promissio in ratione sua non includit actualem donationem, sed puram obligationem in futurum. Ergo non inducit obligationem justitiae, sed fidelitatis. *Conseq.* prob. Obligatio justitiae requirit jus in alio ad quem est talis obligatio. Sed ante promissionem is, cui fit promissio, nullum jus habebat ut supponitur, nec per promissionem datur, cum haec nihil det. Ergo.; *Min.* prob. Quia alioqui jam non esset pura promissio, sed donatio, si non rei ipsius saltem juris in re, vel ad rem promissam; illud enim jus moraliter quaedam res est, quae a jurisperitis res incorporalis appellatur, quae et vendi et praescribi, ac proinde etiam donari potest. Ergo...

Confir. Nam non repugnat dari puram promissionem cum hoc pendeat ex sola voluntate et intentione promittentis, qui potest nolle in praesenti quippiam donare, vel jus aliquod in alium transferre, sed solam fidem suam adstringere, et seipsum debitorem

(1) De invent. L. 2.—(2) Opusc. 4, sect. 2, n. 19.—(3) Ut Molina. Lugo; etc.—(4) 2, 2, Q. 88, a. 3 ad 1.

constituere servandi in suis actionibus eam honestatem quam fidelitas postulat. Ergo cum promissio est nuda i. e. relicta naturae suae non ultra obligationem fidelitatis suam vim extendit.

Obj. Repugnat ut aliquis velit obligari se per promissionem ad aliquid dandum alteri, et nolit illi dare jus aliquod in rem, vel ad rem promissam, quia haec duo correlativa videntur. Confir. a posteriori. Nam inter homines, ut promissio inducat obligationem, acceptari debet ab eo, cui fit; quod non alia ratione potest esse necessarium, nisi quia ille alter acquirit aliquod jus, quod solo medio voluntario consensu acquiri solet. Ergo.

Resp. Dist. *antec.* In obligatione mere personali qualem inducit pura et simplex promissio; neg. In aliis v. g. in donatione cum inducitur obligatio realis; conc. Ad confir. conc. *antec.* nego causalem, nempe rationem esse, ut is cui fit promissio, proprium jus justitiae acquirat, sed ut promissio, quae erat veluti suspensa et conditionata tantum transeat in absolutam; cum enim illa promissio et obligatio fiat in favorem alterius, quasi conditionem includit, si illa grata sit et accepta, et ideo quamdiu conditio haec non est expleta non est consummata obligatio potestque qui promisit se retractare, stando in jure naturali.

SCHOLION.

De promissione et donatione mere internis, et de non acceptatis.

85. Dico I. Promissio mere interna homini facta sicut et donatio mere interna nec jure naturali valet.

Ita communior et verior sententia contra Ledesma (1) et alios, qui nullitatem illorum actuum internorum repetunt a jure positivo illos irritante. Dicimus *homini facta*, quia de promissione Deo vel ejus sanctis facta, seu de voto certum est, non requiri signa externa ad ejus valorem, cum per actus mentales possimus sufficienter cum eis loqui, ut animum nos obligandi eis intimemus. Addimus *nec jure naturali*, quia de facto et de jure positivo omnes concedunt necessarium esse actum externum ut promissio vel donatio obligationem inducant. Nobiscum sentit D. Thomas (2). «Promissio, quae ab homine fit homini, non potest fieri nisi per verba, vel quacumque exteriora signa. Deo autem potest fieri promissio per solam interiorum cogitationem.»

Prob. 1.º Omnis contractus et pactum ex quo inter homines obligatio oriri potest, debet esse signum practicum exercite manifestativum voluntatis se obligandi. Sed promissio mere interna non est talis. Ergo... *Maj.* prob. Quia, qui dicit v. g. promitto tibi, non solum significat internam cogitationem et affectum promittendi;

(1) Vil. Lessium c. 18, nn. 28-33.—(2) 2, 2, Q. 88, a. 1.

sed etiam ipsum actum promissionis, qui in hisce verbis sub tali intentione prolatis formaliter consistit, et effectum ejus, scilicet, obligationem quae nascitur in promittente et jus quod nascitur in promissario, complectitur. *Min.* etiam patet, quia promissio mere interna non potest significare effectum in alio producendum, seu obligationem ad alterum.

2.^o Promissio mere interna obligaret vel ex pacto vel ex fidelitate. Sed ex neutro. Ergo... Non primum ut constat ex primo argumento, non ex fidelitate, nam fidelitas obligat ad conformanda facta dictis. Sed ibi nulla sunt dicta. Ergo.

Obj. 1.^o Promissio interna, addit aliquid supra nudum propositum; Ergo magis obligat.

Resp. Dist. *antec.* Addit radicem et inchoationem obligationis ad alterum; conc. Complet et determinat; neg. Tota vis obligandi in contractibus oritur quidem a voluntate interna radicaliter et principaliter, non tamen totaliter seu tota a sola voluntate interna.

Obj. 2.^o Actu interno, quo quis non vult amplius rem habere in rebus suis, potest amitti possessio et dominium: Ergo etiam causari obligatio erga alterum.

Resp. Neg. *conseq.* Quia ad amittendum possessionem et dominium sufficit quod deficiat voluntas possidendi et dominandi, sine qua nec acquiritur nec conservatur jus: ad transferendum autem requiritur signum translationis, quod non ponitur per solam voluntatem internam. Potest etiam probabiliter negari *antec.* cum Suarío (1) et aliis.

Obj. 3.^o Tota vis obligandi promissionis est a voluntate interna: Ergo haec sufficiens est ad obligandum. Confir. Quia expressio exterior non est necessaria nisi ut possit cognosci et acceptari ab altero. Sed haec acceptatio jure naturae non est necessaria. Ergo...

Resp. Dist. *antec.* Principaliter et radicaliter; conc. Complective, totaliter et relative ad alterum; neg. Promissio interna est lex privata, quam quisque pro arbitrio sibi potest imponere, sed directiva tantum non obligatoria: quamvis enim homo pro arbitrio possit sibi imponere obligationem, id tamen non potest per actum, cui desit conditio requisita ad inducendam obligationem, non enim per merum propositum potest se ligare vinculo voti.

Ad confirmat. Resp. 1.^o Conc. *maj.* neg. *min.* cum communi. — Resp. 2.^o Neg. *maj.* quia ut constat ex prob. 1.^o non ideo requiruntur externa signa ut alteri significetur voluntas promittendi, sed etiam ut ipsa promissio per illa fiat.

Obj. 4.^o Si promissio interna fiat cum juramento obligat, et ab illo tolli potest in cujus favorem facta est; v. g. si interne jurasti dare Petro centum aureos et is remittat.

Resp. Dist. *antec.* Obligat, si juramentum fiat ad modum promissionis humanae; neg. Si Deo et sit de re bona et meliori tamquam votum; conc. Sed non loquimur nunc de hac obligatione.

86. Dico II. Promissio vel donatio nondum acceptata tam jure positivo, quam naturali ordinarie non obligat.

(1) De leg. L. 8, c. 32, n. 22.

Dicitur ordinarie quia excipiendae sunt non omnino certo sed probabiliter tantum quaedam pollicitationes jure civili antiquo irrevocabiles, quales sunt factae Reipublicae, Civitati, et juxta varios etiam factae Ecclesiis, Universitatibus et similibus piis locis.

I.^a Pars. Prob. 1.^o Jure civili Leg. 1, ff. de *pollicitationi*; Leg. 10, ff. de *donation.* aliisque. Idem intelligendum de Jure canonico, nam ut communius tradunt doctores quando Jus canonicum nihil statuit in contrarium concordat cum civili.

2.^o Ex altera parte constabit hujusmodi promissiones et donationes jure naturae non obligare: ergo nec positivo tam canonico quam civili obligabunt, nisi adsit lex clara et minime dubia contrarium inducens et instituens.

II.^a Pars statuitur ut probabilior cum Sanchez, Lessio, Lugo (1), etc., contra Molinam, Sylvestrem et alios et prob. 1.^o Quia promissio et donatio sunt species pacti, quod essentialiter constat mutuo consensu duorum aut plurium.

2.^o Quia in omni promissione vel donatione subintelligitur haec tacita conditio, si alter acceptet.

3.^o Quia promissio est obligatio seu datio fidei, quae non potest esse sine suo correlativo seu acceptance.

Obj. 1.^o Jus positivum posset statuere ut promissio non acceptata obligaret: Ergo sola promissio naturâ sua ad obligandum sufficit. *Conseq.* prob. Quia jus positivum non tribuit contractibus majorem vim quam naturâ sua habeant. Ergo...

Resp. Dist. *antec.* Ut obligaret absolute et complete; neg. Respective et incomplete, conc. Jus positivum tantum faceret ne posset revocari pro libito, sicut ex natura rei posset; unde fieret talem promissionem semper posse acceptari et promissum peti: petitio tamen esset necessaria ut quis teneretur solvere.

Obj. 2.^o In gratuitis promissionibus acceptatis, obligatio non oritur ex acceptance, sed ex gratuita promissione, quae non expectat obligationem reciprocam. Ergo...

Resp. Dist. *antec.* Non oritur ex acceptance, tamquam a causa primaria; conc. Secundaria integrante pactum, vel saltem tamquam a conditione sine qua non; neg. Sicut enim ignis, ait Lessius (2), est sufficiens causa calefactionis aquae, tamen non potest ex eo nasci calefactio nisi aqua debito modo applicetur: ita promissio est sufficiens causa et obligationis et juris in altero, si alter acceptet: acceptatio est veluti conditio necessaria, ut promissio vim exerat, jusque tribuat.

87. Quaes: An promissio acceptata, ex sola fidelitate obligans, inducat ex genere suo reatum lethalem, si non servetur?

Duplex est sententia: 1.^a Soti, Ledesmae, Molinae, Lugo nis (3), quae negat: Ratio est quia, cum per talem promissionem nullum jus acquirat promissarius, tota turpitudine infidelitatis consistit in eo, quod aliquis suis dictis non stet. Sed haec non videtur turpitudine gravior quam ea, quae habetur in non conformandis verbis menti, quae levis est, dummodo damnum aliud non sequatur. Ergo... Est sententia probabilis saltem.

(1) D. 23, sect. 3.—(2) Lib. 2, c. 18, n. 41.—(3) D. 23, n. 90.